

1577

Gene-  
alogum  
1532  
Genealogia  
Gene  
Gene  
1543



1. Lutheri s. Mart. |  
modus orandi |  
Wittenberge, 1541

2. Veli s. Joh. Oratio  
de summis Beneficij  
Mart. Lutheri mundo  
exhibitis, 1588

W 3


3. Hierianus / Aug. /  
libri de Spiritus Sancti  
processione, Basilea  
1293.


ubi Hugo Hierian videtur fuisse sub: Hierianus  
(Hugo)

pag. 174 Nr. 309.

e libro

Reges, Wernig. 1811 Sept. c. a. com. de Nob.  
op. 2, 9;





S I M =

PLEX ET APTISSI-  
mus orandi modus,  
per D. Mart. Luth. in gra-  
tiam Amici cuiusdam  
scriptus.

VITEBERGÆ.

Excudebat Nic. Schir.

102. 1541.





# SIMPLEX

ET SVCCINCTVS ORAN-

di modus, in gratiam Amici cuiusdam

Germanice scriptus, à D.

Mart. Luth.



## RIN

CIPIO. CVM  
ob peregrinas cogi-  
tationes curasq; &  
negotia uaria ad  
orandum torpere ac  
suffrigidum me esse

sentio (semper enim Caro & Satan ab  
orando nos quacunq; possunt occasione a-  
uocant & remorantur) mox arrepto Psal-  
teriolo meo, secedens abdo me in conclaue  
meū, uel si dies & tempus id requirit, con-  
fero me in templum ad Ecclesiam, ibiq; De-  
calogum, Symbolum fidei, & si temporis  
multum super est, aliquot sententias Christi,  
Pauli, item & Psalmos, de uerbo, puero-  
rum in morem recito.

A a

Ac in



### SIMPLEX ORANDI MODVS.

Ac in primis laudatus mos est & omni-  
bus modis retinendus, diem à precatone au-  
spicari, eamq; omnibus actionibus præmitte-  
re. Et ut mane omnium operum nostrorum  
oratio primum, sic & sub somnum omnium  
postremum erit. Cauebis itaq; summa di-  
ligentia ne animo surrepant, tibiq; imponant  
cogitationes, quæ dicent iubeantq;, ut ora-  
tione in horam unam atq; alterâ protracta,  
hoc aut illud prius absoluas. Hæ cogitatio-  
nes ab oratione nos abducunt, ut inde occupa-  
tionibus obruti & negocijs circumuenti, to-  
tos sæpe dies, orationis prorsus obliti, trans-  
mittamus.

Equidem possunt negocia & opera in-  
cidere, quæ tam bona & frugifera sint, aut  
plus etiam commodi atq; utilitatis pariant,  
quam oratio, maxime cum urgens necessitas  
aliqua, ea exigit. Ita circumfertur sententia  
Hieronymi nomine, Piorum opera oratio-  
nes esse, Et usurpatur prouerbij uice inter  
germanos, Qui fideliter laborat bis orat.  
Hæ sententiæ non alio sensu dictæ sunt, q̄ q̄  
homo pius officium suum faciens, inter labo-  
randū Deum timet & honorat, memor man-  
datorum



### SIMPLEX ORANDI MODVS.

datorum ipsius, ne quem iniuria afficiat, ne quem dolis & fraude circumueniat, ne quid suffuretur, ne cui incommodet. Hæ cogitationes, hic animus, Dei timore & fide imbutus, faciunt ut opera reputentur & sint oratio, adeoq; sacrificium etiam eucharisticum.

E contra uerissimum est, omnia impij opera, meras esse blasphemias, maledictiones & peccata, eumq; qui segniter laborat nec bona fide facit officium suum, dupliciter blasphemare. Siquidem impij cordis impias esse cogitationes necesse est, cum omnis timoris Dei sit uacuum, hincq; sequatur contemptus Dei, & contumax atq; obstinata mandatorum Dei transgressio, nec quid quam potest tale cor aliud apud se uersare & machinari, q̄ quomodo imponat, defraudet, & laedat proximum. Hæ cogitationes quid sunt aliud quam meræ in Deum & homines blasphemiae, quam meræ abominationes, quibus seipsum etiam execrans impius, tandem ad extremam mendicitatem redigitur, & ad omnia officia ineptus, homo dissolutus, nihili, & deploratus redditur? Hanc orationem perpetuant,



## SIMPLEX ORANDI MODVS.

petuam, intelligi uult Christus apud Lucam  
Cap. 11. ubi iubet indefinenter orare. Semper enim sollicitè & accurate cauendum ne temere peccemus, ne quem iniuria afficiamus, At id fieri non potest ab eo, qui Deum non timet, qui Dei præcepta ob oculos non habet. Ait enim Psal. 1. Beatus cuius uoluntas in lege DOMINI in lege eius meditabitur die ac nocte.

Sed interim cauendum etiam ne hoc prætextu uerè orare desuescamus, fingamusq; sæpius opera nobis necessaria, quæ necessaria non sunt, atq; ita tandem socordes, languentes, tædiosi, & torpentes ad orandum reddamur. Satan enim non stertit, semper nos circumcui, perpetuo struit insidias in omnes occasiones intentus, Ad hæc ualde uegeta & alacris, ualde propensa & procliuis ad peccandum & spiritui orationis reluctandum est caro nostra.

Sed, ut redeamus ad institutam orationem, ubi cor recitatione Decalogi & reliquorum. de quibus diximus, incaluit, cumq; iam collectum apud se est, procumbens in genua, aut erectus palmis oculisq; in coelū protensis, his uerbis Deum compello. ○

## PETITIO PRIMA.

O Pater Coelestis, Clementissime Deus.  
Miserrimus ego peccator indignus sum, quæ  
oculos & manus ad te extendam, teq; preci-  
bus meis obtundam, uerum cum præceperis  
omnibus, ut orarent, cumq; te nos exauditurum  
promiseris, ad hæc cum ipse tu uerba  
orandi; formam nobis per dilectum Filium  
tuum Iesum Christum præscripseris, Impul-  
sus mandato tuo adsum, sisusq; promissis tuis  
oro in nomine Domini mei cum omnibus pijs  
in his terris, uti nos docuit filius ille tuus di-  
lectissimus. Pater noster &c.

## PRIMA PETITIO.

**V**bi ad uerbum totam orationem Domi-  
nicam recitauit, partem unam, aut plu-  
res si libet repeto, Ac primam petitionem.  
Sanctificetur nomen tuum.  
In hæc uerba. Eia, Indulgentissime Pater,  
sanctifica quæso Nomen tuum tam in nobis  
ipsis q̄ in toto mundo, dele, dissipa, euerte,  
eradica uniuersas abominationes, Idolatrias,  
Sectas, Hereses tum Turcæ, tum Papæ omni-  
umq; Pseudapostolorū, fanaticorū & erro-  
rum, qui

## PRIMA PETITIO.

rum, qui nomen illud tuum falso iactant, & horribiliter blasphemant, foedissimeq; eo abutuntur, palam summa & praesidenti impudentia iactant ea, quae docent & tradunt, tuum esse uerbum, & Ecclesiae mandatum, cum tamen Diaboli sint imposturae, mendacia & fraudes. Atq; hoc praetextu nominis tui innumerabilem animarum cateruam miserrime per totum terrarum orbem seducunt, & immani crudelitate sanguinem innocentem profundunt, omnes pios odio acerbissimo persequuntur putantq; se etiam cultum tibi praestare.

Hic Pater optime conuerte & auerte, Conuerte eos qui conuertendi sunt, ut nobiscum illi & nos cum illis Nomen tuum sanctificemus & glorificemus, tum recte & pure docendo, tum innocenter sancteq; uiuendo. Auerte autem & compesce istos qui obdurati resipiscere nolunt, ut aliquando finem faciant sacrosancto nomine tuo abutendi, illudq; blasphemandi & miseros imperitosq; homines seducendi, Amen.

Secunda

## SECUNDA PETITIO.

### Adueniat regnum tuum.

**H**ic dices. Vides, Domine Deus, Pater optime, quod Mundi sapientia et ratio non modo Nomen tuum blasphemis laceras, tuum honorem mendatio et Diabolo communicet, sed et omnes vires suas, omnes opes, omnem potentiam (quam tu in terris ad corporalem hanc vitam regendam et ad tibi seruiendum dedisti) regno tuo opponat, iisque id oppugnet et destruere conetur, Præpotentes sunt aduersarij tui, maximi sunt, sapientissimi sunt, callidissimi sunt, infinita illorum multitudo est, omnium rerum copia affluunt, omnigenis bonis ac dotibus fortunæ et corporis abundant, Diuexant, exercent, affligunt, atterunt, impediunt, turbant et persequuntur pusillum illum regni tui gregem, Eumque cum sit imbecillis, et imbellis cum sit abiectus et contemptus, cum sit exiguus et paruulus, ferre nullo modo uolunt adeoque uita indignum iudicant, Hisque putant se tibi etiam gratissimum cultum præstare.

Hic, Domine Deus Pater optime, conuertere et auerte. Conuertere eos qui filij tui et

## SECUNDA PETITIO.

regni tui consortes membraq; futuri sunt, ut illi nobiscum & nos cum illis, tibi in regno tuo, in uera fide minimeq; simulata charitate seruiamus, & ex hoc inchoata hic regno tuo, in aeternum proficiscamur. Auerte autem & frange uires illorum qui in hoc omnes suas uires, omnem potentiam, omnes facultates intendunt, toti in hoc incumbunt, ut regno tuo incommodent idq; perturbent & euertant, eos inquam frange & auerte ut a sede depositi & praecipitati, humilitati, & confusi, a coepto desistant. Amen.

## TERTIA PETITIO.

Fiat voluntas tua sicut in caelo & in terra.

**H**ic dices. Scis Pater optime, Mundi ingenium & studium peruersissimum, ubi uidet se frustra laborare in extinguenda nominis tui gloria regnoq; tuo deuastando, miros dolos nequit, fraudes concinnat, astutissima captat consilia, summa malicia summa calliditate instructus nihil non fingit, machinatur, inuenit, syncretizat, conspirat contra nomen

### TERTIA PETITIO.

tra nomen, uerbum & regnum tuum, contra filios tuos, His extremum exitium & interuentionem molitur, Quapropter, Deus Pater clementissime, conuerte & auerte, Conuerte eos quibus uoluntas tua etiamnum reuelanda & cognoscenda est, ut illi nobiscum, & nos cum illis, uoluntati tue obediamus & ob eam omnia aduersa, omnes calamitates, omnia mala & incommoda, alacri, patienti, infracto, hilariq; animo perpetiamur optimamq; & propensissimam perfectamq; uoluntatem tuam in his agnoscamus experiamur & discamus. Auerte autem & coherce illos qui nullum finem faciunt seuiendi, & insanienti, qui pios odio extremo persequuntur, minis atrocissimis terrent, quorum uoluntas & cogitatio in hoc omnis est ut noceant, Fac ut omnia illorum consilia, cogitata, doli, insidie, fraudes turbentur & confundantur, ut omnia in ipsos authores redundent, uti canit & Psal. 7. Conuertatur dolor eius in caput eius, & in uerticem ipsius iniquitas eius descendat.

Quarta

QVARTA PETITIO.

Panem nostrum quotidiana  
num da nobis hodie.

**H**Anc partem his uerbis apud me reuo-  
cans diligentius expendo. Da Pater  
benignissime nobis benedictionem tuam &  
omnia necessaria in hac temporali caduca, &  
fragili uita, fac ut regnet alma inter nos pax  
& tranquillitas, prohibe queso ne bellorum  
tumultibus & dissidijs affligamur. Adsit  
queso auxilio tuo optimo Cesari nostro, pug-  
nanti contra hostes suos, fortuna conatus illi-  
us, dona illi sapientiam, prudentiam, & in-  
tellectum, gubernata omnia illius consilia, om-  
nes cogitationes, ut terrenum hoc Regnum  
suum pacifice & foeliciter administret. Do-  
na queso omnibus Regibus Principibus &  
Magistratibus, bona et salutaria consilia utq;  
uelint quæ optima sunt, & subditos suos in  
pace iusticia & æquitate tueantur, In pri-  
mis custodi & rege Principem nostrum sub  
cuius ditione & tutela tu nos protegis, ut ab  
omni malo, ab omni periculo liberetur, ut a  
linguis dolosis, adulatricibus, & fucatis, ab  
hominibus impijs & sua quærentibus nec ex  
animo



#### QVARTA PETITIO.

animo consulentibus tutus, prospere & pie  
gubernet. Fac ut omnes subditi fideliter ser-  
uiant, ut in officio, dictoq; audientes sint.  
Fac ut omnis generis & conditionis homines,  
summi medioximi infimi, ciues, rustici, pie-  
tati & morum integritati uitaeq; innocentiae  
studeant, ut mutuo se & ex animo diligant,  
bona fide inter se contrahant, neminem de-  
fraudent neminem iniuria afficiant. Dona  
quieso tempestiuam pluuiam, coelum benignu-  
m, commoda & apta nascendis frugibus  
tempora, letos fructus terrae. Commendo  
etiam tibi Pater optime Domum meam, om-  
nia mea, totam familiam, Vxorem & liberos,  
adiuuua, ut eos bene et Pie regam & educem.  
Auerte & comprime Diabolum omnia con-  
nantem perdere omnesq; Angelos malos qui  
his calamitatem aliquam & cladem inferre,  
haecq; impedire possunt. Amen.

#### QVINTA PETITIO.

Dimitte nobis debita no-  
stra, sicut & nos dimittimus  
debitoribus nostris.

His

## QVINTA PETITIO.

**H**ic dices. O Pater omnis misericordie,  
Ne quaeso intres nobiscum in iudicium,  
Cum nullus homo uiuens iustificetur in con=  
spectu tuo, Ne, quaeso, animum a nobis tuum  
abalienes, tam ingratas pro tot tuis infinitis  
in nos beneficijs tam spiritualibus quam cor=  
poralibus, & quotidie labentibus teq; offen=  
dentibus, saepius etiam quam agnoscimus &  
scimus, iuxta illud Psal. 18. Ab occultis mun=  
da me. Sed quaeso, ne, qui nos simus & quid  
commereamur, sed inexhaustam & immen=  
sam bonitatem & misericordiam tuam in Chri=  
sto filio tuo dilecto nobis donatam respicias.  
Sis quaeso & propicius omnibus hostibus no=  
stris qui iniuria & calamitate nos afficiunt,  
ijsq; emenda eis da meliorem mentem, con=  
dona illis omnia delicta, uti & nos ex animo  
condonamus. Nam sibiipsis maxime & gra=  
uissime nocent, qui te, in hoc quod nos ode=  
runt, offendunt inq; se irritant, Neq; enim  
illorum calamitas & interitus quicquam no=  
bis prodest, sed malemus eos fieri eiusdem sa=  
lutis & foelicitatis consortes. Amen. Hic  
quisq; exploret animum suum & si graua=  
sim nec ex animo condonare potest, oret dili=  
genter

SEXTA PETITIO.

genter Deum, ut possit. Sed hæc pro con-  
tione admonenda sunt.

SEXTA PETITIO.

Et ne nos inducas in ten-  
tationem.

**H**ic dices. Pater optime, contine quæso  
nos in officio, ut semper impigre, ui-  
gilanter, feruenti & intento animo, uerbum  
tuum audiamus, alacriter tibi seruiamus, te  
colamus, neq; socordia, securitate & fastidio  
affecti, putemus nihil nobis deesse, nihil esse  
periculi, ne Satan hostis immanissimus &  
truculentissimus irrepens & nos insidijs cir-  
cumueniens opprimat, nobisq; saluificam &  
puram uerbi tui doctrinam, auferat aut in-  
ter nos dissidia hæreses & schismata, excitet  
aut nos in alia uicia, peccata & flagicia ab-  
ominanda, tam spiritualia q̄ corporalia sedu-  
cat ac præcipitet, Sed dona nobis quæso per  
Spiritum tuum, sapientiam & uires, ut ani-  
mo forti & constanti tam immani & grauē  
hosti resistamus & uictoria tandem pociamur.  
Amen.

SEPe

SEPTIMA PETITIO.

Sed libera nos a malo.

**H**ic dices. O Pater Clementissime uita  
hæc nostra tot referta est calamitatibus  
tot obnoxia erumnis, tot exposita periculis,  
tam plena perfidiæ & maliciæ scelerum &  
uiciorum (ueluti Paulus inquit, dies mali  
sunt) ut huius uitæ pertasis, assiduis uotis  
mors nobis esset optanda. Sed tu Pater op-  
time, nosti imbecillitatem nostram, Te roga-  
mus adsis nobis & adiuua, ut per tot mala  
transcuntes, tam salebrosam, tam lubricam  
& impeditū huius uitæ iter tuti absoluamus.  
Cumq; aderit hora nouissima, quæ nos hinc  
auocabit, tunc nos regens, consolans, susten-  
tans, da ut animo alacri & lubente ex hoc  
miserabili exilio in ueram uitam emigrare  
gestiamus, ne mortis metu perterriti animum  
despondeamus, sed solidi fide animam nostrā  
in manus tuas commendemus. Amen.

Postremo te monco, ut uoculam, AMEN,  
bene ponderatam plena animi fiducia profec-  
ras, nec dubites quin Deus audiat te oran-  
tem, & i audiat animo paterno & benigno,  
ita ut

## SEPTIMA PETITIO.

ita ut sit exauditurus, & prestaturus omnia  
que petisti. Cogitabis etiam te non ibi pro-  
cumbere in genua, aut stare solum, sed totam  
etiam Ecclesiam, hoc est, omnes pios tecum,  
& te inter illos, unanimi & concordi orati-  
one Deum implorare, quam orationem De-  
us neutiquam contemnere & reijcere potest. Nec  
ante discedes aut desines orare, quam certo apud  
animam tuam constitueris, exauditam esse ora-  
tionem tuam, ut possis constanter pronuncia-  
re, Scio & persuasissimum habeo, Deum au-  
disse hanc orationem meam. Nihil omnino  
ambigo, nihil de hoc dubito, Atque id ipsum  
sibi vult hęc uocula, Amen.

Ceterum nolo ut orans his te uerbis  
astringas, his meis uerbis de uerbo semper  
recitatis. Nam inde tandem inanis uerborum  
eorundem iteratio streptusque & multiloqui-  
um oritur, si e libello singula uocula & litera  
recitata appenderentur, qualia fuere Rosa-  
ria sub Papatu inter plebeios, & pensum illud  
preularum inter Sacrificulos & Monachos  
sed hęc ideo prescribo, ut cor excitem instrua-  
mque, ut sciat quas cogitationes in oratione

B

Dominica

## SEPTIMA PETITIO.

Dominica concipere debeat, uerum eas cogitationes cor cum incaluit & ad orandum alacri & excitato impetu fertur, multo alijs uerbis uel paucioribus uel pluribus promere potest. Ac ipse quoq; his me uerbis non alligo, nec iisdem uerbis semper oro, sed hodie alijs cras item alijs, pro ut incalui & excitatus sum ad orandum, Attamen his fere cogitationibus insisto quas præscripsi, has ut plurimum apud animum meum tracto atq; retracto, Non raro tamen tam pia tam fecunda cogitandi materia in una aliqua petitionum harũ parte succurrit, ut in eam tanq̃ in amoenissimum & latissimum campum ex-patiatus, reliquas sex intermittam omnes.

Ac cum cogitationes tam piæ tanq̃ uberes ultra se offerunt, tunc omitti debent reliquæ pre-cationes, ut detur locus meditationibus istis, Neutiq̃ enim impediendæ aut turbandæ sunt. Siquidem ipse Spiritus sanctus ibi concionatur. Et unica concionis huius uocula longe est & in infinitum præstantior utiliorq; q̃ mille orationum nostrarum. Atq; ipse ego in una aliqua ardenti oratione mea plura sepe didici, q̃ ex multorum liberorũ lectione

aut accu-

## SEPTIMA PETITIO.

aut accuratissima meditatione consequi potuisssem.

Quocirca plurimum momenti in hoc situm est, ut cor ad orandum expeditum, alacere, feruens, & omnibus peregrinis cogitationibus ablegatis, in hac una re totum sit. Id quod etiam monet Ecclesi. inquit, Ante orationem prepara animam tuam & noli esse quasi homo qui tentat Deum. Quid est enim aliud quam Deum tentare cum labia strepitum edunt, & magnum uerborum cumulum profundunt, corde peregrinante & alijs cogitationibus dedito. Quemadmodum Sacrificulus ille rurestris ipsis preculis subinde aliena miscbat, ad hunc modum, Deus in adiutorium meum intende. Heus serue, demelicia equis, Domine ad adiuuandum me festina, uade Famula mulge uaccas, Gloria patri & filio & spiritui sancto, Etiam cessas puer, Dij te perdant &c. Tales preculas audiui sub Papatu quam plurimas atque omnes adeo eorum orationes fere istiusmodi fuere. At ijs Deus magis irridetur multoque esset satius ut aleam luderent interim, si utiliora

### SEPTIMA PETITIO.

agere aut non possent aut nolent. Nam & ipse, proh dolor, multas horas Canonicas (quas uocant) olim demurmuravi, in quibus Psalmum aut preculas inter mixtas ante absolueram quae cogitarem & praeuideram me inchoasse, aut ad mediam partem prouectum esse.

Et ut maxime non omnes, uti Sacrificulus ille agrestis, tam crassas & inconditas uoces ore emittant, preces & negocia eodem tractantes tempore, attamen in corde assimiliter sacris profana miscent, & quod germanico Proverbio dicitur, centum conijciunt inter mille, alienis cogitationibus, omnis pietatis & religionis uacuis, animos occupatissimos & irretitos habent, ut finita oratione, nesciant quid egerint, aut quomodo in portum appulerint. Vbi coepere (Laudate Dominum) illico animus est in fortunatis insulis, hoc est, in popina atque in patinis, & nescio quibus mundanis friuolisque negocijs. Certe nullum ludicrum, nullae praestigiae, nulla res iocularis magis ridicula unquam cuique contingere posset, quam si uideret cogitationes eas, quas cor tepidum uagum, nihilque attentum, oratione



### SEPTIMA PETITIO.

orationi miscet. At nunc, laus sit Deo, uideo  
& intelligo non probari Deo illius orationes,  
qui finita precatone iam non meminit,  
quid dixerit. Is enim qui uere & ex animo  
ardenterq; orat, omnium uerborū & cogi-  
tationum quibus à primordio orationis usq;  
ad calcem mens occupata fuit, optime me-  
minit.

Et quemadmodum tonsorem qui dili-  
gentie & industriae laudem auferre uolet, in-  
radenda barba, nouaculam attentissima cura  
ducere, omnesq; cogitationes, sensus, & ocu-  
los hinc uni rei intendere oportet, alioqui,  
si multa garriret aliisque cogitationibus  
animum occupatum haberet, & oculos alio  
auerteret, uel naso illum quem radit mutila-  
ret, uel os dissecaret adeoq; iugulo laeso ene-  
caret. Sic quaelibet res, quodlibet negocium,  
si modo rite & probe apparari & omnibus  
numeris absolutum esse debet, totum requirit  
hominem cum sensibus & membris omnibus,  
Id quod & docemur illo uersiculo trito. Plu-  
ribus intentus minor est ad singula sensus,  
Nam qui cogitat uaria, nihil cogitat, & qui  
pluribus simul est intentus, nulli rei est inten-  
tus nihil

## SEPTIMA PETITIO.

quis nihil bene perpendere nec quicquid agere & promouere dignum laude potest. Quanto magis oratio, quam à Deo exaudiri uis requirit cor collectum, totum, & uni rei intentum?

Hæc nobis breuiter de oratione dicta sint. Hic meus est orandi mos & ratio, Nam quotidie adhuc orationem hanc Dominicam quodammodo sugo, uti infantulus, bibo & mando uti adultus, nec tamen ea satiari possum. Atque etiam dulcior & gratior mihi est ipsis Psalmis, quibus tamen mirifice & unice delector quos & maximi facio. Profecto res ipsa clamat à summo & præstantissimo artifice eam orationem esse compositam & præformatam, Ac res indignissima est & miseranda, quæ tam insignis tam preciosa & sancta oratio, citra omnem attentionem, animo omnis pietatis, omnis religionis uacuo, à tam multis per totum mundum demurmuratur. Sunt multi qui uno anno aliquot myriades orationis huius dominicæ deblaterant, At illi, etiamsi totos mille annos eam orationem identidem sonarent ad eum modum, tamen nec unicam quidem literam aut apicem ex ea degustarent

## SEPTIMA PETITIO.

de gustarent aut quicquid orarent, nihilque omnino impetrarent. Summa, Oratio de dominica (uti et ipsum nomen et uerbum Dei) miserimus et afflictissimus in his terris est martyr. A plurimis enim misere tractatur plurimi ea pessime abutuntur. Quotusquisque est qui consolationem inde ueram et solidam concipiat, quique bene ea utens, leticia aliqua afficiatur.

Porro, si datur tantum mihi uacui temporis ante orationem, assimiliter Decalogum etiam apud me expendo, repetitis ordine singulis preceptis, quo me, quantum fieri potest uacuum et expeditum reddam accendamque ad orandum. Singula uero precepta quadrifariam excutio, et inde ueluti ordine quadruplici distinctum uarieгатumque sertum concinno, ad hunc modum, Quodlibet mihi preceptum propono, et infigo, Primum ut sit doctrina et preceptum, quale etiam est per se, cogitoque quid Deus in eo tanta a me seueritate et tam serio exigat. Secundo, gratiarum actionem inde instituo Tertio confessionem. Quarto orationem, his uidelicet et similibus cogitationibus et uerbis.

B 4

Ego

Ego DOMINVS Deus  
tuus qui eduxi te de terra  
AEgypti, de domo seruitu-  
tis,

PRIMUM PRÆCEPTUM.

Non habebis Deos alie-  
nos.

**H**ic cogito primum quod hoc præcepto  
doceat & exigat a me Deus, ut toto  
corde sibi fidam, in omnibus rebus, in omni  
necessitate, cogito item rem seriam esse, &  
promittit se futurum Deum meum, se Deum  
haberi & coli à me uult, nisi uelim periculi-  
tari salutem animæ meæ, & q̄; uult ut cor me-  
um collocet spem & fiduciam suam in nullam  
rem aliam (nec in opes, nec in honores &  
dignitates, nec in potentiam, nec in scienti-  
am, nec in sanctimoniam, deniq; in nullam  
omnino aliam creaturam) q̄ in se.

Secundo

I. PRÆCEPTVM.

Secundo gratias ago infinite & inexhaustæ ipsius misericordiæ, quod animum in me gerens uere paternum, se submittere & ad me perditum & deploratum hominem uenire sustinuit, ultro se, non rogatus, non quaesitus, non inuocatus, nullis beneficijs, nullis meritis prouocatus, mihi offerens, promittensq; se futurum Deum meum, se curam meam acturum, se me gubernaturum, se in omnibus periculis auxiliaturum, se consolaturum, defensurum, propugnaturum & liberaturum me, cum miserimi nos homunculi altissimis tenebris pressi, tot Deos antea quaesuerimus & etiamnum quaeremus, nisi clare & palam proclamaret, seq; nobis lingua humana loquens exhiberet, promitteretq; se Deum nostrum futurum. Quis pro tam immenso beneficio gratias illi satis dignas agere potest in æternum?

Tertio deploro & confiteor grauissima peccata, & foedam ingratitude meam, q; tam insignem & longe fructuosissimam doctrinam, donumq; tam immensum & præclarum per totum uitæ meæ cursum tam im-

B 5

pic, tan

## I. PRÆCEPTUM.

pie, tam indignis modis cōtempserim, quodq; innumeris Idolatrijs iram ipsius in me, tam procaciter, tam improbe, ac toties prouocarim. Quorum me nunc ex animo pœniteat ac ueniam mihi dari peto.

Quarto orationem adorno his uerbis.

Ab Domine Deus adsis mihi gratia tua, pro summa tua bonitate & clementia, ut in hoc præcepto discendo atq; intelligendo indies proficiam & toto pectore præstare connitari. Tuere quæso cor meum, ne posthac tui oblitum, proq; tantis beneficijs ingratum, alios Deos, aliam consolationem in terris, aut in ulla creatura quærat, sed tibi soli, unico Deo, pura & solida fiducia adhærescat, apud te constanter usq; in finem maneat, Amen. Ab Pater optime, Ab clementissime Deus, Amen.

Hinc (si tantum superest temporis, siq; libet & animo sum ardenti & excitato) secundum præceptū itidem quadrifariam apud animum meum uerso.

Secundum

SECUNDVM PRÆCEPTVM.

Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.

**P**rimo hic disco, quod nomen Dei sit glorificandum, sanctificandū, illustrandum, prædicandum, reuerenter & pie à me tractandum, item quod eo non debeam abuti, uel iurando uel execrando, & maledicendo, uel mentiendo & fallendo, item quod uulla fortune afflatu efferrī & insolescere, nec propriam gloriam querere, sed uera & casta animi religione, in spiritu humilitatis Nomen illud diuinum inuocare, adorare, glorificare & prædicare debeam, idq; satis mihi gloriæ honori & gloriationi ducere, q; ipse Deus est meus, & ego misera creatura & indignissimus ipsius seruus.

Secundo gratias ago pro summo & incomparabili illo dono & beneficio, q; nomen mihi suum reuelauit, exhibuit & donauit, q; nomen illius gloriari possum, quodq; nuncupor seruus & creatura Dei &c. q; Nomen ipsius

odq;  
tans  
uo=  
niter  
  
bis.  
pro  
hoc  
dies  
tar.  
bli=  
lios  
t in  
oco,  
d te  
Ab  
A=

siq;  
sc=  
pud  
une



## II. PRÆCEPTUM.

ipsius refugium & praesidium meum est et arx munita (uti Salomon inquit) ad quam currit iustus & defenditur.

Tertio conqueror & confiteor foedissima & immania peccata mea in hoc Praeceptum, per totum vitae curriculum commissa, quod sacrosanctum illius nomen non modo non invocavi, non glorificavi, non honoravi & praedicavi, sed quod etiam ingratus fui pro tanto dono, quod eo ad pessima quaeque flagicia, vicia & scelera abusus sum, peierando, mentiendo, decipiendo, defraudando &c. Quod me fecisse ex animo doleo, ac peto veniam & misericordiam.

Quarto orationem instituo qua peto ut addat mihi robur, meque iuuet, ut in posterum haec praeccepta probe addiscam, meque tueatur ne prolabar in execrandam illam ingratitude, abusum, & flagicia quibus nomen ipsius laeditur, sed ut gratus reperiar & vere timens & honorans nomen ipsius.

Et quod ante monui in explicatione Orationis Dominicae nunc iterum moneo, si Spiritus sanctus inter has meditationes adornat concionem



### III. PRÆCEPTVM.

concionem in corde tuo, suggerens egregias  
& pias cogitationes, mox assurgens cedensq;  
loco, & hoc honoris illi habens, missas fac con-  
ceptas cogitationes tuas tacitus & attentus  
ausculta ei, qui te melior est artifex, Et om-  
nia quæ concionatur, diligenter observa &  
conscribe, hincq; mirabilia experieris, ut Da-  
uid inquit, in lege Dei.

### TERTIVM PRÆCEPTVM.

Cogita vt diem Sabbati  
sanctifices.

**H**ic primum disco, Sabbatum seu ferias  
institutas esse, non ut in ijs ocio & ge-  
nio indulgeamus, sed ut eas sanctificemus.  
Sanctificatur autem Sabbatum non per ope-  
ra aut ullas res nostras, (quia opera nostra  
sancta non sunt) sed per uerbum Dei, quod  
solum ab omni parte purum, defecatum, san-  
ctumq; est & sanctificat omnia ea, in quibus  
tractatur, tempus, locum, personam, opera,  
quietem &c. Siquidem per uerbum opera  
etiam nostra sanctificantur, teste Paulo 1. Tē

mo. 3.

### III. PRÆCEPTVM.

no. 2. Quicquid creauit Deus sanctificatur per sermonem & precationem, Hinc itaq; disco q; in ferijs ante omnia sit diligenter mihi audiendum & meditandum uerbum Dei, deinde quod & gratiæ mihi sint pro eo agende, q; Deus sit laudandus propter omnia ista beneficia, quodq; orandū mihi sit & pro me & pro toto mundo. Qui ad hunc modū diem Sabbati transmittit, is eum demum sanctificat, Qui hæc non facit, is grauius peccat q̄ illi qui eo die operis aliquid faciunt.

Secundo gratias ago Deo pro hoc maximo beneficio, pro tanta suo in nos bonitate, quod uerbum nobis suum dedit, quoq; peculiarem diem ad id tractandum & exercendum, instituit. Hoc ipsius uerbum q̄ sit immensum bonum q̄ preciosus thesaurus nullum cor humanum capere, nec cogitatione ulla assequi potest. Hoc uerbum, unica est & clarissima lux, in profundissima caligine huius mundi, est uerbum uitæ, consolationis & omnis salutis. Vbi salutare hoc & omni ueneratione acceptandum uerbum desideratur, ibi plusq; cineris terrificæ, & horribiles sunt tenebræ

### III. PRÆCEPTVM.

tenebræ, errores, sectæ, mors, omne infortunium & calamitas, immanisq; Diaboli tyrannus. Cuius rei exempla nobis in ipsos oculos quotidie plurima in currunt.

Tertio confiteor & agnosco me miserum esse & grauissimum peccatorem, fœdamq; meam in gratitudinem deploro, q; tot dies festos tam perditè transegi, q; q; uerbum illud saluificum & preciosum, tam impie contempsi, q; tanta socordia, tanta tædio, & fastidio audiui, taceo, quod nunq; ardenti id animi cupiditate expetiui nec pro tanto dono gratias egi, q; ita passus sum Deum frustra in concionibus uerba mihi facere, quodq; preciosissimum istum thesaurum neglexi, fastidui & pedibus conculcaui. Quæ grauissima delicta pro summa sua clementia tam diu uult, nec destitit subinde & indefinenter me per prædicationem uerbi sui ad salutem anime meæ uocare, pro uere paterno & propensissimo suo in nos affectu & fide. Ob hæc ex animo dolens, imploro ipsius misericordiam, & peccatorum remissionem pcto.

Quarto

#### IIII. PRÆCEPTVM.

Quarto oro pro me & pro toto mundo, ut pro summa sua bonitate dignetur conseruare nobis uerbū suum, idq; cordibus nostris infigere, nec auferat id nobis ob peccata, ingratitudinem, & socordiam nostram, utq; tollat é medio omnes Sectas, Hæreses, schismata, falsas & impias doctrinas, sed mittat nobis fideles & diligentes idoneosq; operarios in messem suam, hoc est, synceros, pios & eruditos Episcopos siue Prædicatores, Vtq; det omnibus nobis gratiam suam, ut uerbum Episcoporum tanq̄ Dei ipsius, summa relligione audiamus, suscipiamus, ueneremur, & ex animo pro eo gratias agamus Deumq; laudemus.

#### QUARTVM PRÆCEPTVM.

Honora Patrem tuum & Matrem tuam.

**P**rimum disco ex hoc præcepto agnoscere Deum creatorem meum, q̄ mirabili & incomprehensibili modo corpus & animam mihi condiderit & uitam per parentes do-

#### IIII. PRÆCEPTVM.

tes donauerit, ijsq; tale cor, talem in me affectum indiderit, ut mihi filio, non possint non summo studio seruire, me in lucem productum alere, custodire, fouere educare, idq; maxima diligentia, anxia cura & sollicitudine, suo periculo, maximo suo dolore, & labore, Quodq; in hanc usq; horam me opus manuum suarum, & creaturam suam, ab innumeris cum corporis tum animæ periculis & necessitatibus liberarit & præseruarit, me singulis pene horis nouum creans. Inuidet enim nobis Satan capitalis ille hostis noster etiam unum uitæ momentum.

Secundo, gratias ago ditissimo & benignissimo Creatori, & meo & totius mundi nomine, q; hoc præcepto instituit, q; q; stabiluit & incrementum & conseruationem generis humani, hoc est, tam Oeconomiam q; Politiam. Quippe citra duos hos status & uitæ genera, mundus ne unum quidem annum duraret. Nam absq; Rerumpub. gubernatione uel politia, nulla constat pax. At ubi hæc desideratur, ibi nec Oeconomia esse potest. Porro ubi nulla est Oeconomia, ibi nec suscipi nec

C

pi nec

IIII. PRÆCEPTVM.

pi nec educari liberi possunt, ibiq; parentum status in totum intercidit. Verum quo minus id accidat, id acceptum ferri debet huic præcepto. Hoc sancit, tuetur, stabilit, & conseruat, tam Oeconomiam q̄ Politiam, eo q̄ mandat liberis subditisq; obedientiam. Et serio hoc mandat, eosq; qui contemnunt præceptū hoc, non patitur, abire multos, Quod si id non faceret, liberi inobedientia contumaciaq; omnem Oeconomiam, subditi seditionibus politiam pridem dissoluissent, uastassent, & euertissent, cum longe plures sint liberorum & subditorum q̄ parentum aut magistratuū. Itaq; & huius beneficij magnitudo nullis uerbis explicari potest.

Tertio, Confiteor nefandam inobedientiam & peccata mea contra præceptum hoc Dei mei commissa q̄ nullo honore parentes affeci, q̄ parere detrectans & cotumaciter responsans, eos commotos sæpe offendi, q̄ salutare eorum admonitiones castigationesq; non patienter & æquo animo tuli, Imo comertium hominum perditorum & deploratorum secutus sum, Cum tamen Deus filijs  
contuma

IIII. PRÆCEPTVM.

cōtumacibus maledicens longam uitam se daturum neget ( Vt multos uidemus quotidie ē medio tolli & perire, anteq̄ in uiros euadant & iustam etatem attingant. Nam qui detrectat obedire parenti, is aut cogetur obedire Carnifici, aut alio quo piam miserabili fato per iram Dei foedū uitæ exitum sortitur &c.) Hæc me in me admisisse ex animo doleo, peccatoq; ueniam & remissionem.

Quarto rogo & pro me & pro toto mundo, ut dignetur nobis largiri Deus gratiam suam, et larga manu benedictionem suā profundere, tam in Oeconomiam q̄ in Politiam, ut in posterum ad meliorem uitæ frugem reuersi, Parentes debito honore afficiamus, magistratibus obediamus, nec Diaboli instigationes et impulsū ad inobedientiam, ad seditiones, & discordiam sequamur, atq; ita omnibus uiribus & Oeconomiam & Politiam stabiliamus, ornemus, prouehamus, adiuuemus, pacem conseruemus & mordicus retineamus, ad Dei gloriam & honorem, ad Ecclesiæ utilitatem, & tranquillitatem, Vt pro his donis Deo gratias agamus.

C 2

Hoc loco

#### IIII. PRÆCEPTVM.

Hoc loco interseri & appendi debet deprecatio pro Parentibus & Magistratibus, ut Deus dignetur illis dare prudentiam & sapientiam, quo pacis studio dediti, bene nobis praesint & foeliciter gubernent, utq; eorum mentes & consilia regat, ne tyrannidem exerceant, ne seuiant & insaniant in bonos & pios, sed ut uerbum diuinum prouehant & glorificent, non persequantur, nec afficiant quemq; iniuria. Siquidem haec tanta dona precibus a Deo per nos impetranda sunt, quemadmodum & Sanctus paulus nos docet, Quod si non orauerimus ardentem, Diabolus tumultibus & seditiōibus excitatis omnia miscebit, turbabit, confundet & euerget.

Porro, tu qui parens es, hic fac sis memor tui, liberorum tuorum & familiae tuae, hic orandum tibi est serio & ardentem, ut optimus ille Pater ( qui tecum cōmunicauit nominis & officij sui honorem, teq; patris nomine compellari & honore eiusdem coli uoluit) gratia & auxilio tibi adsit suo, ut uxorem, liberos, & famulicium pie & Christiane gubernes, detq; tibi sapientiam & rationem liber-



## V. PRÆCEPTVM.

nam liberos pie educandi & instituendi, Liberis uero det bonam mentem, & promptam ultroneâq; uoluntatem præceptis & monitis tuis obtemperandi. Quippe dona Dei sunt utraq; hæc, & liberi & liberorum profectus, atq; pietas, tam ut bene & pie instituantur q̄ ut perdurent & proficiant in cepta animi pietate. Alioqui domus seu Oeconomia nihil erit aliud q̄ hara, aut uerius flagitiorum & uiciorū schola, id quod uidere est apud impios, imperitos, & insulsos illos, uitæq; dissolutæ & contaminatæ homines.

## QVINTVM PRÆCEPTVM.

Non occides.

**H**ic disco primo q̄ Deus exigat á me, ut diligam proximum meū ut nulla eum afficiam corporis iniuria, nec uerbis nec factis, nec ira, impatientia, liuore, odio, maleuolentia aut ulla alia cupiditate commotus me ulciscens talionem reddam, damnum uedem ullum aut calamitate illum aliqua afficiam, sed ut sciam mei officij esse, ut illum iu-

C 3

uam con-

## V. PRÆCEPTUM.

uere consilio, auxilio, facultatibus meis in omnibus necessitatibus. Quippe hoc præcepto commendauit curæ meæ corpus proximi mei, & uicissim commisit proximo meo curam corporis mei, & quemadmodum Syrach ait, Cuilibet nostrum commendauit proximum suum.

Secundo gratias ago Deo pro flagrantissimo & incredibili illo in me amoris affectu, proq; summa sua in me curando & fouendo sollicitudine, assiduitate, fideq; q; tanta fida custodia, tam firmo præsidio, tam munito, tam ualido muro ualloq; corpus meum cingit, qui hoc præcepto mandat & exigit ab omnibus hominibus, ut me iuuent, ut nullam mihi inferant iniuriam, ut meis rebus consoletur, me tutentur, & curent. Vicissimq; exigit etiam à me ut eadem faciam alijs. Idq; serio exigit, grauiusq;, dato in hoc ad uindicandum & puniendum gladio, in eos animaduertit, qui contra hoc præceptum suum contumaciter delinunt. Quod si hoc ipsius mandatum & interdictum non extaret, creberrimis et crudelissimis caedibus funestisq; cladibus

V. PRÆCEPTVM.

cladibus omnia compleret Diabolus, homici-  
die titulo insignis, nec horam unam tuti &  
securi uiueremus. Id quod etiam accidit non-  
nunq̄, cum Deus irritatus, de contumace, in-  
grato & impio hoc mundo supplicium sumit.

Tertio, Confiteor hic & deploro me-  
am ac totius mundi maliciam, improbitatem,  
& peruersitatem, q̄ non tantum tam impie  
& extreme ingrati sumus, pro tanto ipsius  
& paterno in nos amoris affectu, & pro  
nobis sollicitudine, sed (id quod fœdissimum  
& atrocissimum peccatum est) q̄ etiam hoc  
ipsius mandatum discimus non, sed contemp-  
tum repudiamus, non aliter ac si omnino ni-  
hil ad nos pertineret, ne quicq̄ inde utilitatis  
perciperetur. Ad hæc securi ferocesq̄, uix  
unq̄ cogitamus q̄ grauitè in hoc peccemus,  
q̄ proximum nostrum contra hoc præcep-  
tum, despiciamus q̄ deserimus, q̄ & perse-  
quentes atrocibus iniurijs contumelijsq̄ affi-  
cimus, atq̄ etiam in corde occidimus, q̄ splen-  
dida bile impulsì, laxas habenas furori & in-  
consultis effrenibusq̄ cupiditatibus permitti-  
mus, perinde ac si talia admittere præclarū

C 4

& egregia

## V. PRÆCEPTVM.

Et egregium facinus esset. Hic profecto latissimus datur campus et locus conquerendi ac deplorandi summam et infinitam nostram maliciam, insignem peruersitatem, profundissimam teterrimam et horribilem cecitatem, effrenem contumaciam, ferocem et efferam crudelitatem nostram, qui non secus ac immanissimæ beluæ mutuis lanienis nos conficimus, nos conculcamus, conterimus, concerpimus, confodimus, dilaniamus, Nec quicquam omnino mouet nos hoc tam seuerum mandatum Dei.

Quarto, oro ut optamus pater doceat nos intelligere hoc præceptum uelitque adesse auxilio suo, ut uitæ nostræ et omnium actionum rationem ad eius præscriptum instituamus, seruetque et tueatur omnes in commune, ab isto truculentissimo Homicida, omnis cædis cladis calamitatisque authore et causa, detque prædiuitem gratiam suam ut homines mutuo se ament, mutua se mansuetudine, facilitate, comitate, benignitate, humanitate tractent, offensas ex animo condonent, uicia proximi patienter pio et fraterno affectu tolerent, et emendent, atque ita pacis et concordie studeant.

VI. PRÆCEPTVM.

die studium colentes, tranquillam & piam  
uitam iuxta huius mandati doctrinam & præ  
scriptum agant.

SEXTVM PRÆCEPTVM.

Non committes adulter  
rium.

**D**isco & hic quid cogitet Deus, quidq;  
me facere uelit, uidelicet, uitam castam,  
pudicam, uerecundam, modestam, & so  
briam uiuere, tam mente q̄ uerbis & factis,  
nec ullius uxori, filia, ancilla, uim facere, sed  
iniuriam prohibere, uim depellere, omniaq;  
facere, quæ ad tuendam & conseruandam  
pudicitiam, honestatem, & uerecundiam per  
tinet, utq; obturem ora sycophantica, futilia,  
calumniatoria, quæ alijs detrectant, aliorūq;  
famam ledunt & constuprant. Hæc ut faciam  
omnia requirit officij mei ratio, & Deus ex  
igit, ut non modo proximi mei uxori alijsq;  
quæ ipsius sunt, iniuriam non inferam, sed  
ut et ab ijs quibus infertur, propulsem, sum  
ma opera, summo studio famam cuiusq; inte  
meratam

## VI. PRÆCEPTUM.

meritam & illibatam seruem, perinde ut  
mea fame honorem à proximo meo defen-  
di, & hoc præceptum erga me & meos præ-  
stari cupio.

Secundo loco, gratias ago fidiſſimo &  
benignissimo patri pro hac bonitate & in-  
genti beneficio, q̄ hoc suo præcepto munit,  
tuetur & protigit maritum, filium, seruum,  
uxorem, filiam & ancillam meam, tam se-  
uere, tam diligenter & serio uetans ne uici-  
um illis & iniuria aliqua inferatur, muniens  
me quasi publica fide, Nec patitur negligi &  
contemni hoc suum præceptum, nunq̄ impu-  
ne sinit abire, eum qui hoc mandatum tras-  
greditur & uiolat, Nemo sibi hic fuga con-  
sulere, nemo commeritam Dei iram euitare  
poterit. Aut in hac uita dabit poenas, aut in  
igne gehennæ, post uitam hanc istum libidinis  
& nequiciæ suæ æstum extinguet. Nam casti-  
tatem & mundiciam imprimis seruari uult  
Deus, nec adulterium, aut ullam spurcitiem  
ferre potest, Id inde satis claret quod quoti-  
die cernimus, tam flagitiosæ, tam fœdæ tam  
contaminatæ uitæ, poenitereq̄ nescios homi-  
nes, ira

## VI. PRÆCEPTVM.

nes, ira Dei tandem apprehensos, calamitose  
& miserabili exitu perire. Atq; nisi hoc fieret,  
ne unam quidem horam, uxoris, filiarum,  
familiaeq; pudicitia, uerecundia & castitas  
ab impuro, libidinoso, & nequam illo  
Diabolo, tuta esset, sed omnibus foedissimarum  
libidinum speciebus, caninisq;, quas uocant,  
nuptijs, hoc est promiscuo & uago concubitu  
omnia complerentur, pecuinis & spurcissimis  
carnis cupidinibus concupiscentijsq;  
passim indulgeretur. Id quod interdum accidit,  
cum Deus auerso uultu & manu sua  
subducta sinit sursum ac deorsum miseri uolui  
& foedari omnia.

Hic confiteor peccata mea, quae contra  
praecipuum hoc mihi in me, a prima aetate,  
siue cogitationibus, siue uerbis, siue opere,  
admissa sunt, q; non tantum pro tam praecel-  
ra & pulcherrima hac doctrina, ingentisq;  
hoc dono, in gratissimus fui, sed & saepe suc-  
censui Deo ob id q; praecipit seruari castita-  
tem & uerecundiam, nec omnis generis ne-  
quitiam spurcitiemq; liberam & impuni-  
tam reliquit, q; conuugium neglectum ha-  
bui, fastidii,

## VI. PRÆCEPTVM.

hui, fastidiui, extreme contempsi, uituperavi  
& damnatum uitæ genus iudicavi. ( Si qui-  
dem huius præcepti peccata præ alijs crassis-  
sima sunt, & facillime agnoscuntur, nec ullum  
habent pretextum, nullamq; speciem, quæ ob-  
tendi aut qua excusari queant ) Hoc me feci-  
sse ex animo doleo &c.

Postremo oro pro me & toto mundo, ut  
gratiam suam Deus largiri nobis uelit ad  
amandū & studiose colendū præstandumq;  
hoc suum mandatum, ut non solum caste &  
sobrie nos uiuamus, sed & alios ad tale uitæ  
genus exemplo, uita, monitis, & consilio ex-  
citemus.

Ad hunc modum expendo & tracto re-  
liqua etiam præcepta si temporis tantum da-  
tur, siq; uolo. Nam quod ante monui, nemo  
alligabitur ad hæc mea uerba cogitationes ue,  
sed exemplum meū, meamq; in orando rati-  
onem & modum propono & cōmunico, quā  
qui uolet imitetur, quiq; potest emendet ac  
meliorem doceat. Porro eodem tempore ex-  
pendes unum atq; alterum, uel, si libet, toti-  
us Decalogi præcepta omnia. Quippe ani-  
ma, cum se alicui rei dedit, eiq; intenta est,  
siue ea



## VII. PRÆCEPTVM.

siue ea sit bona, siue ea sit mala, multo plura potest apud se meditatione percurrere q̄ lingua intra totas horas decem effari, aut calamus intra totidem dies scribere, Tam expeditum, tam scelere, tam ingeniosum, tam subtile, tam potens & uehemens quiddam est anima, seu Spiritus. Quapropter minimo negotio & exiguo temporis spacio Decalogum iuxta quatuor has formas expendet expedietq̄, si modo uolet, si serio connititur & ardore aliquo orandi accensus est.

## SEPTIMUM PRÆCEPTVM.

### Non furaberis.

**P**Rimo loco disco hic, q̄ fas non sit ea que proximi sunt auferre & subtrahere, aut illo nesciente, & reluctante apud me premere, uicq̄ retinere, siue clam, siue palam, q̄ nemo sit fraudandus aut circūueniendus, siue contrahendo, siue seruiendo, siue operis aliquid faciendo, ne furtim & per fraudes dolosq̄ res meas stabiliam, sed q̄ debeam uesci pane meo in sudore uultus mei, & proprium panem

VII. PRÆCEPTVM.

panem, non alienum edere, citra dolum & imposturam omnem, q̄ item mihi summo studio resistendum sit (non secus ac in meis rebus) ne proximo meo sua per iam dictos fraudandi atq; circumscribendi modos eripiantur, Disco præterea hic, q; Deus hoc suo præcepto meas res & facultates, pro paterna sua erga nos sollicitudine summo studio curaq; conseruet tuetur & munit, eo q; interdicit ne quis furto quicq; mihi auferat q; ab ijs qui hoc præceptum uiolant, graues pœnas sumit uel tradens eos carnifici, qui laqueo gulam præfocet, uel si carnificis manus effugiunt, redigens eos tandem ad extremam egestatem. Quemadmodum uerissima iactatur inter Germanos sententia, Qui furatur primis annis, mendicat ætate prouecta, Et uerissimus est hic uersiculus, De male quesitis non gaudet tertius hæres. Item, quod Plautus dixit, hic minime uanus, Male partum pcius disperit.

Deinde gratias ago Deo pro summa in nos benignitate & bonitate, q; mihi toti mundo tam bonum & utile dogma atq; per  
id defen

VII. P R Æ C E P T T M .

id defensionem, & munimentum rebus meis  
dedit. Nisi enim ita nos ipse muniret, teget,  
tuereturq; , nemo sibi uel teruntiu nec frus-  
tillum, crustumue panis domi sue seruaret.

Tertio loco confiteor omnia peccata &  
ingratitude meam, sicubi defraudauit  
quemq;, ex alterius incommodo, meum qua-  
rens commodum, si contraxi aut egi quicq; se  
de mala cum proximo &c.

Quarto oro ut det gratiam suam facia-  
atq;, ut & ego & totus mundus, hoc pra-  
ceptum apud animum diligenter expensum  
discat idq; sibi infigat, uitam suam emendet,  
ut doli, furta, imposturae, defraudationes,  
rapinae, exhaustiones, iniurie, paulatim de-  
crescant, ac breui per diem nouissimum (quo  
omnium Sanctorum & Creaturarum uota  
precesq; tendunt & diriguntur, Roma . 8 . )  
in totum tollantur & deleantur, Amen.

OCTAVVM

OCTAVVM PRÆCEPTVM.

Non loqueris falsum testimonium contra proximum tuum.

**H**oc præceptum primo docet nos & uult ut simus ueritatis studiosi, omniaque mendacia, uanitatem, & calumniam uitemus, optima de alijs & loquamur libenter & audiamus. Hoc interdictum, murus & propugnaculum est fame & innocentie nostrae, contra uirulentas, falsas, & delatrices linguas, contra omnes calumnias & sycophantias, quas Deus tam atrociter & grauius punit quam ea peccata de quibus haecenus dictum nobis est.

Hoc nomine gratias Deo agemus tam pro doctrina quam pro praesidio & tutela illa, quam hoc præcepto nobis dedit.

Tertio confitebimur & ueniam petemus quod uita nostrae curriculum in tanta ingratitude & tot lapsibus et peccatis transmisisimus, mentiendo, fallendo, obtrectando, & calumniando proximum nostrum, cuius tamen honorem, fa-

VIII. PRÆCEPTVM.

norem, famam, & in nocentiam eiq; ac nostram tueri ac tegere debeamus.

Quarto rogamus subsidium & opem ut præceptum hoc in posterum præstare possimus, Rogamus & linguam salutarem & non nocentem alijs & salutarem.

IX. ET X. PRÆCEPTVM.

Non concupisces domum proximi tui, Non vxorem &c.

**H**Oc præcepto uetamur titulo aliquo aut specie iuris, proximi bona & alia que ipsius sunt ad nos transferre, sed docemur ut adiuuemus & obsistamus eripienti, itidem uti nos uellemus nos iuari nostraq; defendere ab alijs. Estq; hoc præceptum munimentum et uallum quoddam contra technas, aucupia, fallacias, practicas, quas uocat, & insidiosas illas artes uasfriciemq; hominum, qui huius mundi sapientes uocantur, hoc est pleonecticorum,

D

corum,

**IX. ET X. PRÆCEPTVM.**  
corum, quæstuariorum, lucrorum, & usura-  
riorum. Quas omnes summiæ iam & certis-  
sima pœna, ad extremum suo tempore ma-  
net.

Secundo gratiæ nobis agenda, pro hoc  
tam in signi beneficio.

Hic subsequi debet agnitio & confessio  
delictorum, quæ contra hoc præceptum pa-  
trauimus, adiuncta poenitentia & pœnitenti-  
ueniæ.

Quarto implorabimus auxilium & gra-  
tiam Dei ut emendati, præceptum hoc imple-  
re & facere possimus.

Iam si cui tantum uacui temporis datur  
siq; excitatus & alacris ad orandum est spi-  
ritus, ad eundem modum & Symbolum fidei  
quadrupliciter tractet & corollam, ut dixi,  
quatuor uariatam ordinibus, inde conficiat.  
Porro Symbolum in tres partes principales,  
seu Capita & Articulos distribuitur, iuxta  
tres Diuinæ Maiestatis personas, Quemad-  
modum & ante in Catechismo partiti sumus.

Primus

PRIMVS ARTICVLVS.  
DE CREATIONE.

**C**redo in Deum patrem  
omnipotentem Creato-  
rem coeli & terræ.

**H**ic primum fulget & illucescit cordi tuo  
clarissimum & maximū lumen, si mo-  
do admittere id & excipere uoles, teq; docet  
per uerissimis uerbis, quod uniuersarū lingua-  
rum plectris explicari, nec omnium uolumi-  
num gradissimis molibus conscribi potest, ui-  
delicet, quid nam tu sis, item unde oriundus  
sis, unde coelum & terra orta et condita sint.  
Es enim creatura figmentum & opus Dei,  
hoc est, per te & ex te nihil es, nihil potes,  
nihil uales, nihil scis, nihil omnino promo-  
uere, nihil perficere potes. Nam quid quæso  
eras ante annos mille? Quid nam erat cœ-  
lum & terra ante sex millia annorū? Tamen  
nihil prorsus, q̄ id nihil est, quod nunquam  
creabitur. Id uero quod es, id quod scis,  
D z id quod

## I. ARTIC. DE CREATI.

id quod potes & uales, id quod uiuus, id quod habes, omne id uocatur Dei creatura & opus, ueluti hic ore tuo profiteriis. Quocirca nihil habes de quo coram Deo gloriari possis, q̄ q̄ omnino & in totum nihil es, q̄ q̄ ille tuus est conditor & creator, teq; singulis momentis ad nihilum redigere potest. Huius luminis, prorsus expers est Ratio. Plurimi perspicacissimo & solertissimo ingenio præditi uestigauere quidem quid cœlum, quid terra, quid homo & creaturæ essent, sed non inuestigare nec inuenere. At hoc articulo res tota patet, hic omnia exactissime disci possunt. Audis Deum creasse cœlum & terram ex nihilo. In hoc itaq; articulo paradus animæ est, in quo obambulans in operibus & mirabilibus Dei sese oblectare potest. Sed esset prolixum in huius materiæ spaciosissimum et patentissimum campum digredi.

Secundo gratiæ hic agendæ q̄ per immensam & inexhaustam Dei misericordiam & bonitatem ex nihilo facti sumus & ex nihilo per totius uitæ seriem conseruamur & sustentamur, q̄ sumus tam præclara tam pulchra &



## I. ARTIC. DE CREATI.

chra & egregia creatura, prædita corpore, anima, ratione, quinque sensibus &c. q̄ nos constituit dominos terræ, piscium, avium, quadrupedum &c. Huc pertinet caput Genesis. 1. 2. 3.

Tertio loco fieri debet confessio & deploratio nostræ incredulitatis & ingratitude, q̄ hæc non curantes, nec in inum peccatus demissa credidimus, nec apud animum nostrum diligenter expensa atq; tractata considerauimus, in hoc deteriores & in cogitantiores ipsis etiam brutis.

Quarto petemus ueram solidam constantemq; fidem, ut in posterum Deum illum optimum, toto corde credamus Creatorem nostrum esse, quod nos hic articulus docet.

## SECUNDVS ARTICVLVS DE REDEMPTIONE.

**E**T in Iesum Christum Filium eius unicum Dominum nostrum, Qui conceptus est

D 3

tus est

II. ARTIC. DE REDEMP:  
tus est de Spiritu sancto, Na-  
tus ex Maria virgine. Passus  
sub Pontio Pilato, cruci-  
fixus, mortuus & sepultus  
est. Descendit ad inferna, ter-  
tia die resurrexit a mortuis.  
Ascendit ad coelos, sedet ad  
dexteram Dei Patris, Inde  
venturus est iudicare viuos  
& mortuos.

**H**ic quoq; lucet illustræ & insigne lumen,  
docens nos, quomodo per Christum  
Dei filium, a morte (quam post Creationem,  
per peccatum Adæ, præcipitati sumus obquã  
& in æternum damnandi eramus) liberati  
simus. Iam, ut in primo Articulo te inter Dei  
creaturas connumerare, unamq; te ex ijs esse,  
minime dubitare debes, Ita & hic necesse est,  
ut te inter eos etiam qui redempti & liberati  
sunt, connumereres, teq; unum ex ijs esse, om-  
nino nihil hæsites ambigasue, Atq; singulis  
penè ueris

## II. ARTIC. DE REDEMP.

pené uerbis seu commatibus uoculam hanc  
( Nostram uel nobis ) affiges, & quemad-  
modum dicis, In Iesum Christum Dominum  
nostrum, sic dices & cogitabis, nobis passum  
nobis mortuum, nobis resuscitatum, ut totus  
quantus quantus est, noster sit, & nostra cau-  
ssa talis sit, proq; nobis hæc fecerit & tulerit.  
Utq; tu ex illis, qui dicunt ( Nostrum ) unus  
sis, id quod ipsa uocabuli significatio requi-  
rit.

Secundo, ex animo & ardentè agenda  
gratiæ, pro tanta bonitate Dei in nos, &  
gaudendū in spiritu pro hac Redemptione.

Tertio, amarissimo fletu deplorabimus,  
conqueremur & confitebimur crassissimam  
& incredibilem incredulitatem nostram seu  
hesitationem de hac gratia & bonitate Dei.  
O q̄ multa q̄ atrocita hic suggerentur animo  
tuo, q̄ multæ & foedissimæ idolatriæ succur-  
rent, quas contra articulum hunc exercuisti,  
tot cultibus Sanctorum institutis, tot pro-  
prijs operibus & facticijs cultibus quæ huic  
redemptioni repugnarunt, excogitatis &  
susceptis.

### III. ARTIC. DE SANCT.

*Quarto orabis Deum, adesse tibi dignetur ut in sincera illibata & solida fide in Christum Dominum tuum post hac perseueres constanter usq; in finem.*

### TERTIVS ARTICVLVS DE SANCTIFICATIONE.

**C**redo in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, Sanctorum communionem, Remissionem peccatorum, Carnis resurrectionem, Et uitam æternam, Amen.

**H**oc tertium illud maximum lumen est, quod docet nos, ubi hic Creator & redemptor in terris externe inueniatur & apprehendatur, & quo uniuersa ad extremum reditura sint, Qua de re dicendi amplissimus campus pateret, Sed (ut rem breuissime complectamur) summa hæc est, Vbicunq; Sancta illa Eccle-

### III. ARTIC. DE SANCT.

illa Ecclesia est, ibidem inuenitur Deus Creator, Deus Redemptor, et Deus Spiritus sanctus, ibidem est qui quotidie sanctificat per remissionem peccatorum &c. Porro Ecclesia ibi est, ubi uerbum Dei de uera fide, pure & sincere docetur, ubi uerbum id profitentur homines. Hic multa uenit tibi cogitanda, de omnibus quæ Spiritus sanctus quotidie in Ecclesia operatur &c.

Quapropter gratias ages hoc loco, quod in hanc Ecclesiam asscitus es.

Confiteberis item et deplorabis diffidentiam & ingratitude tuam, quod omnia illa nihil pendisti, neglexistique, a petes & Deo fidem ueram quæ solida & constans maneat donec uenias eo quo omnia tendunt & in æternum permanent, hoc est, post resurrectionem mortuorum in uitam æternam, Amen.



IVSTVS

DS

# I V S T V S

IONAS M. IOANNI FRE-  
dero Pomerano, Ami-  
co & Affini suo.



VOS QVATER-  
niones, apud Typogra-  
phum uidi, huius utilissi-  
mi Libelli, de Oratione à  
Luthero germanice editi,  
quem tu ut audio, (non ad-  
dito tuo nomine) uertisti Latina. Callide tu  
quidem hoc, quod illæ primitiæ tuæ excude-  
rentur, celasti nos omnes, fateor, sed tamen  
stridor preli à me exauditus est. Proinde  
rogandum te amice duxi, cum omnes alios  
sis rem hanc celaturus, me huius consilij tui  
honesti, conscium esse patiari, Cum in hac  
schola, iam aliquot annis, uersatus, diligen-  
ter te scribendo carmine simul & soluta ora-  
tione exercueris, gaudio te hac translatione  
dedisse specimen, q̄ hanc facultatem latine  
scribendi quam tibi comparasti, sis ad illus-  
trandam gloriam Christi collaturus.

Magna

PRÆFATIO IVST. IONE.

Magna commendatio est profecto, te hactenus eo promouisse diligentia tua, atq; id robor fecisse eruditionis & stili, ut in hac erudita schola possis inter disertos numerari, At ea primū ingens & solida laus est, te singulari Dei dono, hoc flore tuæ ætatis ita accensum esse amore uerbi Dei & pietatis, ut non solum hæc initia, sed & totum tuorum studiorum cursum nobis uidearis Christo consecraturus.

Libellum hunc in quo communis noster in domino parens Lutherus, amicū quendam, non solum monet q̄ periculosum sit, exercicia perpetua tractandi uerbi et orandi, omittere, seu securitate, & quodā somno obtorpescere, sed & rationem candidè ostendit, qua ipse sæpe languescentem, exuscitet sese, germanice bene & miro spiritu scriptū, uerbis electis & significantibus, dein pari penè, uita & igne spiritualissimorū affectuū, adeo reddidisti, dextere & foeliciter, ut te ipsum pietatis studiosissimū & affectuū, animi uere piij uere orantis, minime rudem esse non obscure appareat. Sed parcius te hic laudabo, neq; dicam

PRÆFATIO IUST. IONE.

neq; dicam quod comperi hanc lucem, perspicuitatem & nitorem quem in reddendis germanicis præstas, ipsi Luthero & alijs doctis & pijs ualde placere, ne intempestiuo preconio, hoc sonantius ebuccinem, quod tu celandū sancte existimas. Cohortabor tamen te bono, & pio animo, ut ita latere pergas, id est dimittas te coram Deo & humiliter de te sentias, nec putes te, in rebus sacris, quicquid dicturum aut scripturum, quod non é cælo, datum accipias. Nam qui ita primum una cum Christo in fantulo abdunt et abscondunt sese, in præsepe Bethleemmiticum & paupere fœno latent, hos Deus tandem, auctis donis protrahit in lucem, & coram Angelis & hominibus, suo tempore exaltat, Vale, in

Domino . Data 1. Ianuarij.

Anno Domini

1541.

VITEBERGÆ EXCVDEBAT

NICOLAUS SCHIRL.

M D XLI.





67 10  
c, 13

67 10  
c, 13

X 2198420  
sb

208






B.I.G.

Black 3/Color White Magenta Red Yellow Green Cyan Blue

Farbkarte #13



S I M =

PLEX ET APTISSI-  
mus orandi modus,  
per D. Mart. Luth. in gra-  
tiam Amici cuiusdam  
scriptus.

VITEBERGÆ.

Excudebat Nic. Schir.

1541.